



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 34. Quomodo sensilia obiecta moueant sensum, ad tex. com. 81.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

calido, longè aliter afficitur, quàm à paruo: & A
 minuti caractères faciunt cæcutire: aliter ab eo
 patitur, quod acutus habet angulos, quàm ab
 eo, quod obtusos habeat, aut omnino planum
 sit & æquabile: aliter à pluribus, quàm ab vno:
 aliter ab eo, quod mouetur, quàm ab eo, quod
 stat: vt quando aqua fluit, aut stat. Neque hoc
 in nobis modò est verum, sed & in bestiis. Nam
 & à magno obiecto plurimum, à paruo vix
 permouentur: à figura quapiam aut motu ob-
 iecti accedentis aut multitudinem & numero per-
 terrentur: aliaque in illis plurima obseruamus.
 Obiecta etiam propria tantopere sunt cum hisce
 omnibus complicata, vt sine illis mouere sensum
 non valeant. Color enim nisi maiorem habeat
 quantitatem, vix acutissimum ac perspicacissi-
 mum mouet sensum. Perindeque mouebit, etsi
 à sensili ex accidenti separatur, & sine vlla sub-
 stantia existat: quod in Eucharistia accidenti-
 bus manifestum est.

Omne igitur per se sensile mouet sensum &
 per se ab illo sentitur: quod duobus modis fit;
 aut tanquam obiectum formale atque illius fa-
 cultatis proprium; aut tanquam communis om-
 nium conditio & generalis obiectorum om-
 nium propriorum modus, quo illorum motio
 aliis atque aliis modis afficitur ac determinatur.
 Neque enim abstracta permouent sensum ob-
 iecta propria, sed vt concreta existunt cum com-
 munitate: & idè vna & eadem exte-
 rioris sensus actione, tum propria, tum com-
 munitate, obiecta perferuntur: illa tanquam for-
 malia obiecta, hæc vt illorum conditiones &
 modi: ambo simul, dum obiecta propria hoc
 aut illo modo affecta comprehenduntur. Quam
 ob causam Priscianus Lydius in librum Theo-
 phrastris de anima capite nono & 11. propria dixit
 actione inferre vehementiorem, communia rem-
 issiorem & quasi consequentem: & verè adno-
 tarunt Philoponus in textu 65. & Simplicius in
 textu 133. duplex esse sensile per se; vnum præ-
 cipuum ac primarium, quod per se ipsum in
 sensum incurrit; hocque est proprium: alterum
 secundarium & tanquam consequens, quod in
 sensum quidem agit, sed simul cum altero, quod
 primarium est; atque hoc est commune. Non
 enim agit magnitudo aut figura, nisi quia colo-
 rata est; & vnusquisque sensus proprii obiecti
 rationem primùm quarit. Ergo de hoc dupli-
 ci sensili per prius & posterius dicitur sensile
 per se.

Non nulla de quiete & numero difficultas.
 Nam illa priuationem motus significat, hæc ne-
 gatione continui cognosci dicitur in textu 133.
 De vtraque pluribus eo loco. Interim non quietem
 neque continuitatis negationem intelligas,
 sed quiescens corpus atque ex eodem situ eod-
 em modo efficiens sensum: & vnitates itèr-
 non continuatas, neque communi termino
 copulatas; sed separatas, & idè alio afficientes
 modo, quàm cum essent omnes coniunctæ.

Digressio xxxi v. Quomodo sensi-
 lia communia moueant
 sensum.

Adendum tamen est, non desuisse, qui sen-
 silia hæc communia audientes esse sensili-
 lia per se, sensumque mouere; ea crederent im-
 mittere speciem à sensili proprii specie diuer-
 sam. Ita Albertus, Egidius, Iandunus. Qui-
 bus fauere videntur verba illa Themistij capite
 secundo libri tertij; cum magnitudinem oculis
 sentit, statim similitudo magnitudinis in oculo
 sculpsit; eodemque modo & motus & figura &
 vnitatis. Hocque à sensili ex accidenti communia
 sensilia distingui tradidit.

Verùm omnino satis est sensili proprii species
 (quod non propterea dico, quod speciem vllam
 immitti credam; sed vt illius assertores doceam,
 quid in hac sententia ipsi debuissent) hoc modo
 affecta atque à sensili communi determinata. Nō
 enim à sola obiecti proprii forma per se conside-
 rata, sed ab obiecto existente & concreto pro-
 ducitur species. Quare cum non ab albedine, sed
 ab albo proficiscatur; albumque quantitatem
 habeat, figuram, & cætera sensilia communia;
 quæ ab illo prodibit species, vt id representet, à
 quo producitur, quemadmodum est; tum albe-
 dinem, tum quantitatem, figuram, cæteraque
 omnia his adiuncta representabit. Nam vt re
 ipsa sensile commune conditio est & modus
 proprii sensilis; ita productioni quoque speciei,
 imagini, & representationi eius modum ad-
 fert.

Quod dixi de specie, idem prorsus de motu
 illo intelligas, quem sensilia propria sine specie
 faciunt in sensu. Non inquam diuersum habent
 motum à propriorum motu sensilia communia;
 sed conditioni suæ accommodatè satis moueri
 censentur, dum quoquomodo afficiunt & modi-
 ficant motum illum, qui à propriis infertur sen-
 sui. Propterea in vtrumque obiecti genus fertur
 sensus, & vtrumque tanquam vnum vnico actu
 percipit: quod non esset, si diuersas species aut
 motiones immitterent. At vnum percipit vt ob-
 iectum formale; alterum vt illius conditionem
 & modum. Alterum, vt sensus est & cognoscen-
 di vim habet: alterum, vt materialis est & orga-
 nicus. Ita alterum solum immittit speciem aut
 mouet sub formali ratione, qua facultatis virtus
 continetur: alterum, vt conditio adiuncta spe-
 ciem aut motionem modificat. Accedit, quod
 magnitudo & extensio albedinis non est quid-
 piam re ab albedine distinctum, quod diuersa spe-
 cie aut motione indigeat. Etsi enim quantitas re
 ab albedine distinguatur, sensus tamen represen-
 tari non debet realitas quantitatis per se conside-
 rata, sed color ipse extensus hacque figura com-
 prehensus: quod non alia specie aut motione, sed
 modo duntaxat quopiam opus habet. Quamquã
 si communium sensilium naturam consideres,
 planè cognosces, nullum eorum propriam pos-
 se speciem aut motionem producere. Medium
 & organum post docebit Philosophus care-
 re oportere omni eo, quod debent suscipere:

FFF

quemadmodum colore omni, vt ab omnibus possint moueri. Cum igitur propriam ambo hæc corpora quantitatem habeant, quantitatis speciei propriæ aut motionis capacia nõ sunt: quemadmodum nec coloris, si colorata sint. Mitto, quantitatem actionis omnis ac productionis expectem esse, velut materiæ proprietatem. In obiectis propriis qualitates quoque secundæ vim aliquam habent agendi, vt ex primis constant, licetque permissionem habent. Figura idem re est cum quantitate; & motus cum eo, quod mouetur, nec quidquam habet præsens, nisi impartibile mutatum esse. Quies demum & numerus, aut priuationes sunt vel negationes, aut idem re cum quiescente corpore numeratilis rebus. Denique generali vncia argumentatione concludam. Si commune sensibile propriam speciem aut motionem haberet à proprio diuersam; posset sine illo sentiri.

Hoc etsi concesserint rudiores quidam homines, hoc vel maximè argumento persuasi, quòd si quis in cælo ignislic conuexo foret, manumque extenderet, quantitatem & soliditatem cæli resistentem sibi sentiret; quæ præter lucem omni caret sensili qualitate, quæ vllius sensus & maximè tactus obiectum proprium sit. Sapientiores tamen philosophi fieri non posse contendunt. Quòd inter proprium & commune tantus est nexus, vt nec proprium sine communi, nec commune sine proprio sentiri queat. Propositionem vtramque apud Aristotelem repetes. Nam is in libro de sensu & sensili capite 6. non posse scripsit videri album, quòd non sit quantum. Si enim secus esset, contingeret esse aliquod corpus colorem nullum habens aut qualitatem sensibilem; quare nec sensibile omnino. Quasi diceret, nec sensibile proprium sine communi, neque hoc sine illo sentiri posse. Proprium sine communi haud posse sentiri, antea demonstratum est: quòd communia conditiones & modi sint necessario cum facultatis materialis & organice obiecto proprio complicati. At multò minùs commune sentietur sine proprio. Tum quia conditio & modus multò minùs esse potest aut operari sine eo, cuius est conditio aut modus; quàm illud possit sine conditione aut modo: quippe ab illo habent conditio & modus quidquid sunt & operantur. Tum quia vt ex propriis obiectis constituuntur aut distinguuntur facultates, atque ex illis & naturam & vim omnem operandi deriuant; sic vbi ea non adsint, nihil planè operari queunt. Motus earum rerum, quarum colores sonosus aut aliam qualitatem alicuius sensus propriam non agnoscimus, hanc ob causam non percipimus: lentum ac suauem aëris motum non animaduertimus, quòd strepitum non edat vllum. Omnino magis sensilia communia à propriis, quàm hæc ab illis, pendent: illa enim primùm ac præcipuè, hæc secundo loco & consequenter sensilia sunt. Dum inquam sensilitatis rationem intuemur. Alioqui si vt naturales formæ quæpiam sunt considerentur; magis pendent propria à quantitate saltè, quàm hæc ab illis: quoniam in subiecto esse nequeant, nisi aliqua fuerit quantitate præditum.

Difficultatem porrò de cælo propositam alij

aliter explicantur. Fuerunt, qui tactum nihil sensurum dicerent. At tangere nonne sentire est: Caietanus sensurum obiecti sui priuationem, perinde atque in vacuo. Hoc tantum discrimine, quòd in vacuo perciperet intacile in nullo subiecto, in cælo autem in corpore quanto, duro, & resistente. Sensurum inquam quantitatem tanquam modum negationis obiecti proprii; dum se non immutari ab obiecto suo animaduertent. Non disputo hoc loco, an obiecti priuationem sentiat sensus: certè in cælo non absentia modò tactilis qualitatis agnosceretur, sed veram tactus haberet quanti & duri corporis resistentiam; quam nimirum sentiendo commune obiectum sine proprio sentiret. Fatetur igitur inter manù & cælum futurum verum contactum; sed non alium, quàm velut inter duas quælibet inanima corpora, quorum extrema sese contingerent. Veraque esset resistentia, quæ actum quempiam secundum significat; at sensus nullus: tangendique facultas negatiue se haberet, nihil omnino percipiens, quòd nulla obiecti proprii adesset ratio, à qua permoneretur. Neque enim fieri potest, vt cognitionis actum promat facultas, & non circa obiectum aliquod, quòd cognoscatur. Experimur non rarò, siue nimio frigore, siue alia causâ oblypescere manum atque insensibilem effici; vt quamvis tangeret aut etiam pungatur, nil profusus sentiat: tactus tamen est duorum corporum cum resistentia, & verò etiam cum obiecto proprio. Quid igitur mirum, si ex defectu proprii obiecti in cælo tactus quidem esset, sed sine sensu: nam resistentia phantasia, non sensu tactus, perciperetur. Argumento sit, tum stupida & sentiendi actu priuata manus, quæ ne alterius quidem corporis obuij resistentiam sentiat. Sed hæc aut phantasia percipitur, aut omnino non percipitur, si alteri rei solum intenti. Tum quòd si non manu, sed baculo cæcum tangeres; eodem planè modo, hoc est phantasia, resistentiam perciperes, teque non posse vltèriùs progredi animaduerteres.

TEXTVS.

Κατὰ συμβεβηκός ἢ λεγεται αἰσθητὴν, οὐκ εἶ τὸ λεγόμεν εἰν διαφόρως ἢ ἢ συμβεβηκός ἢ τούτου αἰσθητῶν, ὅτι τῶ λακκῶ συμβεβηκός τούτο αὐ αἰσθητῶν. διὰ τὸ εὐδὴν ποιεῖν ἢ τοιοῦτον ἄπο τοῦ αἰσθητῶν. ἢ ἢ αὐτῶ αἰσθητῶν τῶ ἰδία κινήσεως ἢ αἰσθητῶν, ἢ αἰσθητῶν ἢ ἢ ἰδία κινήσεως ἢ αἰσθητῶν.

Ex accidenti autem dicitur sensibile si album sit. Diuersis siliis. ex accidenti enim hoc sentitis, quoniam accidit albo hoc, quod sentitis. Quapropter nihil patitur quatenus huiusmodi à sensili. Sensurum autem per se proprie sensilia sunt propria: & ea, ad quæ nata est substantia vniuersalis cuiusque sensus.

COMMENT.

Nec proprium sine communi, neque hoc sine illo sentiri.

Diapir

COMMENTARIUS LXXXII.

Postremum membrum divisionis obiecti sensilis explicandum supererat. Hoc est, quod nunc aggreditur; duobusque aut etiam tribus modis exponit, quodnam sit obiectum sensile, quod ex accidenti dicitur. Primum illius exemplum proponendo. Si enim Diaris filius sit albus (Diates, legit Philoponus; quem Aristotelis amicum fuisse testatur) dum illum conspicio, aspectus per se videt album, quod est proprium illius obiectum; ex accidenti autem Diaris filium, in quo albedo est. Atque hoc est alterum, quod ad huius rei planiorem explicationem velut propositi exempli rationem statim subiungit. Nam propterea Diaris filius existimatur esse sensile quodpiam ex accidenti; quoniam cum albo, quod per se sentitur, coniunctus est; acciditque albo Diaris filius, qui sentitur. nam etsi album illud Diaris filius non esset, sensile tamen esset.

Quapropter non substantia modo; sed quidquid ita cum obiecto sensus proprio coniunctum est, ut sensum non moueat; poterit sensile ex accidenti dici; ut esse musicum, esse statuarium, & id genus alia. Quod visus est significare Philosophus, cum non hominem, sed Diaris filium, hoc est hominem & relationem, nominavit. Aspectui quoque addit Simplicius mellis dulcedinem ex accidenti sensilem esse, & omnino proprium vnius sensus obiectum, si comparatione alterius sensus consideretur. Dum enim cum illius obiecto proprio coniunctum est, ab eo ex accidenti sentitur.

Verum hoc loco duo sunt observanda. Alterum est; propterea obiectum ex accidenti sensile esse substantiam, quia cum sensum per se & propria obiecta sint accidentia, in aliqua substantia oportet ea sustentari, & cum illa semper esse coniuncta. Itaque sicut antea demonstratum est, vim obiectorum propriorum ex propria singulorum sensuum natura considerari; communia vero ex generali illa conditione derivari, qua sensus omnes sua natura facultates sunt materiales & extenses; & ideo obiectum postulant, quod quantitatem habeat, quantitatemque reliqua consequuntur. Ita nunc intelligendum est, obiectum, quod ex accidenti nominatur, derivari plane ex natura obiecti proprii, quod accidens cum sit, coherere per se nequit; sed in aliquo subiecto, hoc est in substantia, sustentatum ita per se sentitur, ut substantia quoque illius subiectum ex accidenti sentiat. Et quoniam in eadem substantia inesse plura accidentia possunt; illa item, quatenus cum obiecto cuiuspiam sensus proprio coniuncta sunt, ex accidenti sentiri dicuntur. Dum enim album video, hominem quoque aut substantiam video, aut musicum, aut dulce; sed non nisi album per se; hominem, substantiam, musicum, & dulce, ex accidenti. Atque ut omnia simul complectar, dum album video, & album per se video tanquam

A proprium aspectus obiectum; & quantum, motum, aut aliquid huiusmodi, quod sit velut obiecti proprii modus, tanquam obiectum commune & per se, quia cum omnibus aut pluribus obiectis propriis hac ita coniuncta sunt, ut simul cum illis afficiant & moueant sensum: non alio tamen modo, quam formam quampiam & modum ponendo illi motioni, quae fit ab obiectis propriis. Denique video etiam hominem, substantiam, musicum, aut dulce: at profus ex accidenti. Quoniam ea ita sub accidentibus & obiectis per se occultantur; ut nullo modo afficiant sensum: sed ideo solum sentiri existimantur, quia cum illis, quae per se sentiunt & mouent sensum, copulata sunt.

Est & alia ratio, cur substantia ex accidenti sensilis appelletur. Ea est, quoniam sensus non suis viribus, sed per aliam ipsam cognoscit: nempe per intellectum, cum quo coniunctus est. Dum enim, inquit Simplicius, cum sensili coexistit, ad illius cognitionem excitatur intellectus. Prior ratio animalibus omnibus communis est, posterior hominis propria.

Alterum, quod hoc loco magnopere adnotandum esse existimaui; illud est, quod Themistius, Philoponus & Simplicius quoquomodo indicant; Aristotelem quidem consueuisse dicere, accidens accidere substantiae; sed interdum etiam affirmasse, substantiam accidere accidenti. Non solum enim hoc loco Diaris filium dixit accidere albo; sed in libro categoriarum, dum de iis loqueretur, quae ad aliud dicuntur, hominem scripsit accidere relationi. Omnibus, inquit, alijs sublatis, quae accidentia sunt; omnibusque circumscriptis, quae accidentia sunt domino, ut esse bipedem, aut scientiae capacem, aut hominem; relicto vero solo, quod dominus est, &c. & in secundo libro Physic. textu 33. statuario dixit accidere Polycletem esse. Quod ne quis miretur; intelligere debet, album, relationem, statuarium, & id genus alia, duobus modis considerari posse. Aut enim considerantur quatenus accidentia sunt: atque hoc modo non accidenti substantia, sed substantiae accidens accidit; unde & nomen ipsum accidentis deductum est: & album, relatio, atque statuarium, homini & substantiae accidunt. Aut quatenus album est aspectabile, aut aliud quoduis eiusmodi obiectum per se alienius sensus. Et relatio item, quatenus relatio est & respectus ad terminum, atque principium & causa statuae. Atque ita sane & albo accidit esse Diaris filium, aut substantiam aliam; & relationi aut arti esse hominem aut Polycletem. Sed dum priori modo loquimur, accidere accidens substantiae proprie dicimus; posteriori autem minus proprie substantiam pronuntiamus accidenti accidere; hoc est coniunctam cum eo esse, neque ad propriam illius naturam pertinere.

Tertium & vltimum, quod a Philosopho affertur ad exponendum sensile, quod ex accidenti sentitur, quoque hoc genus sensilis ab eo maxime distinguitur, quod est per se; illud est, quod a me paulo ante significatum est: sensum

FFF ij

Sensile ex accidenti quod.

Sensile ex accidenti duplex.

Sensile ex accidenti etiam causa.

Substantia cur sensilis ex accidenti.

Substantiam accidunt quod accidentis substantia accidunt.

ab eo nihil pati neque affici quatenus huiusmodi est, hoc est quatenus substantia; sed solum quatenus in eorum aliquo continetur, quæ per se sensum mouent: quatenus inquam substantia est alba, aut alio accidente affecta. Non enim substantiam videmus, sed colorem, qui in ea est: atque dum substantiam videre dicimur, ex accidenti planè videre dicimur.

Postremò tribus hisce sensilium obiectorum generibus expositis, proprio, communi, & quod ex accidenti sentitur; ad singulorum sensuum tractationem accessurus, ex illis omnibus accipit obiecta propria, propter quorum cognitionem singuli sensus comparati sunt atque à natura fabricati. Etsi enim propter communia quoque fabricati videantur; non tamen secundum propriam cuiusque sensus rationem, sed secundum communiorem quamdam, vt adnotauit Simplicius; hoc est quatenus omnes sunt facultates materiales, quæ non nisi cum quantitate & reliquis, quæ quantitatem consequuntur, percipere propria obiecta possunt. Itaque reiectis illis, quæ ex accidenti sentiri dicuntur; quòd vt nihil afficiunt sensum, ita nihil ad eius naturam cognoscendam conferunt: ex obiectis per se, quæ sensum mouent, in consequenti tota sensuum consideratione sensilia propria, quæ propriè sensilia dicuntur, retinenda sunt & ante oculos proponenda. Quoniam hæc primùm & essentialiter sentiuntur, inquit Auerroës; cum propter illa instituti fuerint sensus. Communia autem etsi necessariò, non tamen primùm, sed velut modi & conditiones obiectorum primorum sentiuntur.

*Commu-
nia sen-
silia esse
per se
sensilia.*

Quare hoc nomine contendit Philoponus sensilia communia, etsi à propriis separata sensum non moueant nec omnino sentiuntur, sensilia tamen ex accidenti appellari non posse, dum cum propriis simul sentiuntur. Quia sensilia ex accidenti, vel etiam dum sentiuntur, nihil in sensum agunt: communia verò quoquo modo agunt; & idèd si non primo, certè secundo loco per se sensilia sunt. Quòd si à propriis separata non mouent sensum, ne colores quidem mouent à lumine aut perspicuo separati: nec tamen propterea inter sensilia ex accidenti numerantur. Neque igitur sensilia communia eam ob causam credendum est esse ex accidenti sensilia: sed vt sensilia per se dicantur, satis est, si cum propriis copulata sensum afficiant.

DE ASPECTV.

CAP. VII.

TEXTVS.

Ὁ ὡρὸν ἐστὶν ἡ ὄψις, πρὸς ἣν ὁρᾷται. ὁρᾷται δὲ ἔστι γένημα τῆς καὶ λέγουσιν ὡρὸν εἶπαι, ἀγόμενον ὃ πύρραται ὄν. διὸ καὶ ἔστι ὁ λεγόμενος περιεχόμενος μάλιστα. τὸ δὲ ὡρὸν δὲ λέγουσιν, ἐστὶ γένημα.

Cuius igitur est aspectus, hoc est aspectabile. Aspectabile autem est color, & quod oratione quidem est di-

cere, innominatum autem existit. Manifestum autem erit, quod dicimus, procedentibus maxime. Aspectabile enim quod dicimus, est color.

COMMENTARIVS LXXXIII.

Sex obiectis haurienda est facultatum cognitio, vt in tex. 33. positum est: post obiecti sensilis considerationem hæcenus factam sententium facultatum explicationem facilem polliceri nobis possumus. Et quoniam ex obiectis propriis vniuscuiusque substantia & natura maxime pendet, quemadmodum postrema superioris textus verba affirmant: neglectis interim illis obiectis, quæ aut ex accidenti, aut communiter omnibus sentiuntur sensibus; ex propriis in eandem singulorum cognitionem deducit.

Duo autem in animalibus insunt sensuum genera. Vnum externum, quod & obiecta externa immediatè percipit, & organum corporis exterioribus ac patentibus vitur. Alterum internum, cuius cognitio prioris cognitionem sequitur, & organum interius latens neque cuius notum, magisque reconditam habet operandi formam. Ab exterioribus principium facit Philoponus; quod notiores sint, simpliciores, & verò etiam communiore: priusque in animalibus operentur, quam ij, qui interiores dicuntur.

Porò inter exteriores etsi prior in animalibus vigeat tactus, sitque communior, & possit sine cæteris reperiri, cæteri sine ipso esse non possunt: quam ob causam in 6. naturalium Auenenna ab eo credit inchoandum. Aristoteles tamen aspectum primùm contemplatur. Tum nature ordinem; quia omnibus præstat; quòd & pluribus eget ad operandum, ac præferam luce, diuinius qualitate: & momento operatur, remotissimaque obiecta diiudicat, & minime ab illis patitur.

Tum etiam doctrina, quòd manifestissimus est, tum organo, tum operatione, & vt loquitur Simplicius, luminosa sui specie atque ad solem proportionem. Neque enim à communioribus inchoandum est, quòd communiora sint; sed quòd ferè notiora. At in sensibus, inquit Philoponus exponens textu 75. contrarium accidit; vt ij notiores sint, qui speciales magis existunt. Itaque cum aspectus & sit omnium potissimus, idemque manifestissimus; est velut cæterorum mensura: eoque probè percepto reliqui facillè cognoscuntur.

Iam de hoc sensu duo præcipua capita tractantur. Alterù de obiecto, quod est aspectabile. Alterum de medio, per quod aspicitur potest; hoc autem est id, quod est perspicuum. Primùm igitur aspectus obiectum vniuersè credendum est esse quidquid est aspectabile. Sic enim generali vocabulo appellatur; quoniam circa id, quod aspectabile est versari aspectum oportet. Nam aspectabile illud significat, quod aspicitur potest; & aspectus facultas est aspectabilium perceptrix. Itaque principium fecit Philoponus ab obiecto formali, quo maxime vnaqueque facultas determinatur. Deinde adiecit id, quod est materiale. Aspectabile namque & colorem comprehendit, & alia quædam, quæ pluribus quidem verbis describere & circumloqui possumus aut singula